



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 64. Foedus in Picardia amplo successu gloriosum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

mi hoc fœdus promulgabant: postea vero præter quamplurimos licentioris vitæ homines, etiam plures, iique prædivites cives, minus puro veræ religionis studio accensi sese hisce seditiosis adjugebant, cumque ex illis unus, qui ceteris magis teneræ erat conscientiæ, priusquam huic societati nomen daret, tempus deliberandi peteret, ac Thuanum primum Præsidentem in consilium vocaret, hic ejusmodi rem damnavat, civesque, ut resisterent, hortabatur: quapropter illius executio aliquamdiu differebatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1576.

§. LXIV.

Fœdus in Picardia amplo successu gloriosum.

Guifius Dux juncta Cenomanensis Ducis, & Guifii Cardinalis Fratrum suorum opera in Provinciis rem urgere satagebat, atque inter ceteras præcipue in Picardia hæc armorum societas ampliores fecerat progressus, quorum autem causas huc recensere lubet; quippe inter secretos nuperæ pacificationis articulos Rex Condæo Principi promiserat, ut non modo Picardiæ regimine integre frueretur, sed insuper Peronam urbem præsidio regis sumptibus alendo firmatam tanquam securitatis asylum teneret, ut ergo hic Princeps hanc

Thuan. Es
Avila l. c.
Memb. l. 2.

Y 4

Præ-

Sæcul. XVI.
A.C. 1576.

Præfecturam obtinere præpediretur, necesse erat, quatenus Picardina Provincia huic foederi adjungeretur, simulque Peronnæ Gubernator, qui urbem nondum cesserat, ad foederatorum studia pertraheretur. Tunc temporis huic urbi præerat Jacobus Humerius, qui tribus urbibus Peronnensi, Rauganæ, & Monti-Desiderii imperabat, aliunde vero Vir erat in tota Provincia non modo divitiarum abundantia, sed etiam auctoritate præ ceteris omnibus longe celeberrimus, ac præterea Montmorentiorum, proin etiam Condæi Principis inimicus. Hic sua liberali munificentiâ, ac populari prorsus morum comitate civium animos sibi facile conciliabat, ac cum ingenti rationum efficacia eisdem exponebat, quod merito de religione timendum esset, nisi Condæus Princeps huic Provinciæ dominaretur, qua ratione expugnati cuncti Nobiles, omnesque Picardiæ urbes armorum societati subscripserunt. Postea cuidam juveni Nobili nomine Haplincurtio datum est negotium, ut etiam Peronnenses ad acceptandum foedus induceret, Rege hanc unionem haud ægre ferente, eo quod hac ratione sese ad ea, quæ Principi temere promiserat, servanda haud amplius obstrictum fore crederet: nihilominus Rex, ut Condæum pla-

placaret, eidem Peronnæ loco oppidum
Sancti Joannis Engeriaci, & Cognacum attribuit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1576.

§. LXV.

Unionis pacta a fœderatis subscripta.

Ceterum fœderis pacta, quæ fœderatis erant subscribenda, duodecim complectebantur articulos, quos tamen, cum quandoque nimis aperte Regis conniventiam redarguere videntur, Humerius ad formam magis moderatam redigebat, quam huc adducere lubet, prout eam Historici referunt.

Maimb. p. 529.
Daniel hist. de France t. 6. de l'edit. 1723. p. 571.

„In nomine Sanctissimæ Trinitatis
„post participationem pretiosi Corporis
„Christi Domini promissimus, & juravimus per Sancta Evangelia, vitam,
„honorem, & bona nostra, quod ea,
„quæ hic conventa, & a nobis subscripta sunt, sequi, ac fide nunquam violanda servare velimus, constituta pænna, vi cujus tanquam perjuri, infames, ac perpetuo tanquam viri omninobilitatis, & honoris prærogativa indigni haberi, ac declarari volumus.

„I. Cum singulis probe perspecta sint nefanda molimina, & conjurationes contra Dei honorem, sanctam Ecclesiam Catholicam, & contra statum, atque hujus Francici Regni Monarchiam,

Y 5

„nar-